tum sacramentis sine illo uerbo sanctificatur, quod sine sola fide siue ex fide et per sone
uerborum inuocatum omne sanctificationem operatur.

De aque benedictione uel que cum sale benedicitur.

Alexander papa qui fuit a beato petro quintus instituit
ut sal et aqua benedicerentur ad aspergendum populum et habitacula
eorum. Illorum utique exemplo quo heliseus propheta sal in aquam misisse legitur, ut
hoc diuino fonte amari in dulcedinem uerterentur. Hac igitur aqua sanctifica
ta fideles asperguntur, et habitacula fidelium lustrantur ab illusione et infesta
tione malignorum spirituum. Hec a sugco (?) sacramenti quod aqua penitentiam
significat de peccatis. Sal discretionem et cautelam designat. Quando ergo
simul miscentur amara conscientia in dulcedine uertitur atque
illusiones et infestationes demonum amplius non dominantur. Nos
itaque super dictam institutionem secuti per singulos dies dominicos sal et
aquam simul miscendo benedicimus ut hac aspersione fideles
et habitacula fidelium contra spiritales nequicias muniantur.

De susceptione cineris.

Ecclesiastica institutio fert
ut per singulos annos in initio quadragesime quod caput ieiunii dicitur
iiii. feria qui ieiunium nouum suscipit cinis conspersus capitibus fi delium impo
natur. Scilicet ob recordationem mortalitatis nostre immortalitatis homo qui tunc ex habitu pe
nitentie et recordatione peccatorum suorum ad deuotionem compungitur, per memoriam
conditionis sue humilietur. Propter quod ei dicitur: Memento quod cinis es et in cinerem reuerteris.

De ramis palmarum et frondibus benedicendis.

Habet et ecclesiastica
consuetudo in dominica que proxima est ante sollemnitatem paschalem
rami palmarum et frondes arborum benedicantur et populo portandi distribuantur
in signum eorum quod domino ihesu eodem die iherosolimam ascendenti cum ramis pal
marum et frondibus arborum uirentibus cantantes et laudantes occurrerunt. In quo
non solum nobis id quod tunc temporis corporaliter faciendum proponitur, sed id potius quod in illo et in
isto corporali facto spiritaliter imitandum significatur. Palma quidem signum uictorie est,
rami uirentes bona opera significant. Legitur quod ei cum ramis palmarum et fron
dibus laudantes occurrerunt qui